

# 22nd Sydney Latin Summer School



University of Sydney, January 18-22, 2016

**Level 3 B (i)**

**Instructor: Alison Waters and Roger Pitcher**

There is a translation of Gregory available in the *Penguin Classics* series.

## GREGORII TURONENSIS HISTORIARUM EXCERPTA

Gregorii præfatio prima incipit.

Decedente atque immo potius pereunte ab urbibus Gallicanis liberalium cultura litterarum, cum nonnullae res gererentur vel rectae vel improbae, ac feretas gentium desaeviret, regum furor acueretur, ecclesiae inpugnarentur ab hereticis, a catholicis tegerentur, ferveret Christi fides in plurimis, tepisceret in nonnullis, ipsae quoque ecclesiae vel ditarentur a devotis vel nudarentur a perfides, nec repperire possit quisquam peritus dialectica in arte grammaticus, qui haec aut stilo prosaico aut metrico depingeret versu: ingemescebant saepius plerique, dicentes: 'Vae diebus nostris, quia periit studium litterarum a nobis, nec reperitur rethor in populis, qui gesta praesentia promulgare possit in paginis'. Ista etenim atque et his similia iugiter intuens dici, pro commemoratione praeteritorum, ut notitiam adtingerint venientum, etsi incultu effatu, nequivi tamen obtegere vel certamena flagitiosorum vel vitam recte viventium; et praesertim his inlicitus stimulis, quod a nostris fari plerumque miratus sum, quia: 'Philosophantem rethorem intellegunt pauci, loquentem rusticum multi'. Libuit etiam animo, ut pro supputatione annorum ab ipso mundi principio libri primi poniretur initium, cuius capitula deorsum subieci.

X 1. De Gregorio papa Romano.

Anno igitur quinto decimo Childeberthi regis diaconus noster ab urbe Roma sanctorum cum pigneribus veniens, sic retulit, quod anno superiore, mense nono, tanta inundatio Tiberis fluvius Romam urbem obtexerit, ut aedes antiquae deruerent, horrea etiam ecclesiae subversa sint, in quibus nonnulla milia modiorum tritici periere. Multitudo etiam serpentium cum magno dracone in modo trabis validae per huius fluvii alveum in mare descendit; sed suffocatae bestiae inter salsos maris turbidi fluctus et litori eiectae sunt. Subsecuta est de vestigio cladis, quam inguinariam vocant. Nam medio mense XI. adveniens, primum omnium iuxta illud, quod in Ezechiel profeta legitur: A sanctuario meo incipite, Pelagium papam percudit et sine mora etinxit. Quo defuncto, magna stragis populi de hoc morbo facta est. Sed quia ecclesia Dei absque rectorem esse non poterat, Gregorium diaconem plebs omnis elegit. Hic enim de senatoribus primis, ab adulescentia devotus Deo, in rebus propriis sex in Sicilia monasteria congregavit, septimum infra urbis Romae muros instituit; quibus tantum delegans terrarum copiam, quantum ad victum cotidianum praebendum sufficeret, reliqua vindedit cum omni praesidio domus ac pauperibus erogavit; et qui ante syrico contextu ac gemmis micantibus solitus erat per urbem procedere

trabeatus, nunc vili contactus vestitu, ad altaris dominici ministerium consecratur septimusque levita ad adiutorium papae adsciscitur. Tantaque ei abstenentia in cibis, vigilantia in orationibus, strinuetas in ieiuniis erat, ut, infirmato stomacho, vix consistere possit. Litteris grammaticis dialecticisque ac rethoricis ita est institutus, ut nulli in Urbe ipsa putaretur esse secundus; hoc apicem adtentius fugire temptans, ne, quod prius abicerat, rursus ei in saeculo de adepto honore iactantia quaedam subriperit. Unde factum est, ut epistolam ad imperatorem Mauricium dirigeret, cuius filium ex lavacro sancto susciperat, coniurans et multa praece deprecans, ne umquam consensum praeberet populis, ut hunc huius honoris gloria sublimaret. Sed praefectus urbis Romae Germanus eius anticipavit nuntium, et conpraehensum, disruptis epistulis, consensum, quod populus fecerat, imperatori direxit. At ille gratias Deo agens pro amicitia diaconi, quod repperisset locum honoris eius, data praeceptione, ipsum iussit institui. Cumque in hoc restaret, ut benediceretur, et lues populum devastaret, verbum ad plebem pro agenda paenitentia in hoc modo exorsus est: ORATIO GREGORII PAPAE AD PLEBEM. Oportet, fratres karissimi, ut flagella Dei, quae metuere ventura debuemus, saltem praesentia et experta timeamus. Conversionis nobis aditum dolor aperiat, et cordis nostri duritiam ipsa quam patimur poena dissolvat; ut enim profeta teste praedictum est, 'pervenit gladius usque ad animam'. Ecce! etenim cuncta plebs caelestis irae mucrone percutitur, et repentina singuli caede vastantur; nec langor mortem praevenit, sed langoris moras, ut cernitis, mors praecurrit. Percussus quisque ante rapitur, quam ad lamenta paenitentiae convertatur. Pensate ergo, qualis ad conspectum districti Iudicis pervenit, cui non vacat flere quod fecit. Habitatores quique non ex parte subtrahuntur, sed pariter corruunt; domus vacuae relinquuntur, filiorum funera parentes aspiciunt, et sui eos ad interitum heredes praecedunt. Unusquisque ergo nostrum ad paenitentiae lamenta confugiat, dum flere ante percussione vacat. Revocemus ante oculos mentis, quicquid errando commisimus, et quod nequiter egimus, flendo puniamus. 'Praeveniamus faciem eius in confessionem', et sicut profeta ammonet: 'Levemus corda nostra cum manibus ad Deum'. Ad Deum quippe corda cum manibus levare est orationis nostrae studium cum merito bonae operationis erigere. Dat profecto, dat tremore nostro fiduciam, qui per profetam clamat: 'Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat'. Nullus autem de iniquitatum suarum inmanitate desperet; veterinosas namque Ninnivitarum culpas tridua paenitentia abstersit, et conversus latro vitae praemia etiam in ipsa sententia suae mortis emeruit. Mutemus igitur corda et praesumamus nos iam percepisse, quod petimus. Citius ad praecem iudex flectitur, si a pravitate sua petitur corrigatur. Imminente ergo tantae animadversionis gladio, nos inportunis fletibus insistamus. Ea namque, quae ingrata esse hominibus inportunitas solet, iudicio veritatis placet, quia pius ac misericors Deus vult a se praecibus veniam exigere, qui quantum meremur non

vult irasci. Hinc etenim per psalmistam dicit: 'Invoca me in die tribulationis tuae et eripiam te, et magnificabis me'. Ipse ergo sibi testes est, quia invocantibus miserere desiderat, qui ammonet, ut invocetur. Proinde, fratres karissimi, contrito corde et correctis operibus, ab ipso feriae quartae diluculo septiformis laetaniae iuxta distributionem inferius designatam devota ad lacrimas mente veniamus, ut districtus iudex, cum culpas nostras nos punire considerat, ipse a sententia propositae damnationis parcat. Clerus igitur egrediatur ab ecclesia sanctorum martyrum Cosmae et Damiani cum praesbyteris regionis sextae. Omnes vero abbatis cum monachis suis ab ecclesia sanctorum martyrum Protasi et Gervasi cum praesbyteris regionis quartae. Omnes abbatissae cum congregationibus suis egrediantur ab ecclesia sanctorum martyrum Marcellini et Petri cum praesbyteris regionis primae. Omnes infantes ab ecclesia sanctorum martyrum Iohannis et Pauli cum praesbyteris regionis secundae. Omnes vero laici ab ecclesia sancti protomartyris Stephani cum praesbyteris regionis septimae. Omnes mulieres viduae ab ecclesia sanctae Eufimiae cum praesbyteris regionis quintae. Omnes autem mulieres coniugatae egrediantur ab ecclesia sancti martyris Clementis cum praesbyteris regionis tertiae, ut, de singulis ecclesiis exeuntes cum praecibus ac lacrimis, ad beatae Mariae semper virginis genetricis domini nostri Iesu Christi basilicam congregemur, ut, ibi diutius cum fletu ac gemitu Domino supplicantes, peccatorum nostrorum veniam promerire valeamus. Haec eo dicente, congregatis clericorum catervis, psallere iussit per triduum ac depraecare Domini misericordiam. De hora quoque tertia veniebant utrique chori psallentium ad ecclesiam, clamantes per plateas urbis Kyrie eleison. Asserebat autem diaconus noster, qui aderat, in unius horae spatio, dum voces plebs ad Dominum supplicationis emisit, octoginta homines ad terram conruisse et spiritum exalasse. Sed non distitit sacerdos dandus praedicare populo, ne ab oratione cessarent. Ab hoc etiam diaconus noster reliquias sanctorum, ut diximus, sumpsit, dum adhuc in diaconato degeret. Cumque latibula fugae praepararet, capitur, trahitur et ad beati apostoli Petri basilica deducitur, ibique ad pontificalis gratiae officium consecratus, papa Urbis datus est. Sed nec distetit diaconus noster, nisi ad episcopatum eius de Porto rediret et, qualiter ordinatus fuerit, praesenti contemplatione suspiceret.

### Medieval Latin Group 2016

#### Texts to be read:

1) **Geoffrey of Monmouth C12** Stonehenge (from Book VIII )  
(Geoffrey is available in English in Penguin Classics, also in dual language edition edited by Michael Reeve)

#### 2) **The Vulgate Bible**

- a) Acts 27 -28 The Voyage of Saint Paul
- b) Acts 22, 24 -30 Roman Citizenship

#### 3) **Some Medieval Items**

- a) The Will of Elena de Bilburgh 1341
- b) Complaints about fashion in clothes, mid C15
- c) Rules for students in a college, circa 1407

#### 1) **Stonehenge**

Triumphatis itaque hostibus, conuocauit consules ac principes regni infra Eboracum praecepitque eis restaurare ecclesias quas gens Saxonum destruxerat. Ipse uero metropolitanam sedem illius urbis atque ceteros episcopatus prouinciae reaedificare incepit. Emensis deinde quindecim diebus, cum operarios diuersos in diuersis locis statuisset, adiuuit urbem Lundoniae, cui hostilis irruptio non pepercerat. Condolens igitur ipsius excidium, reuocat undique ciues residuos et eam restituere aggreditur. Ibidem disponit regno suo legesque sopitas renouat, amissas auorum possessiones nepotibus distribuit. Quae autem in tanta calamitate heredes amiserant largitae sunt commilitonibus suis. Tota intentio ipsius uersabatur circa regni restitutionem, ecclesiarum reformationem, pacis ac legis renouationem, iusticiae compositionem. Exin petiuit Guintoniam ut eam sicut ceteras restitueret. Cumque in restaurationem eius quae ponenda erant posuisset, monitu Eldadi episcopi iuit ad monasterium prope Kaercaradoc, quod nunc Salesberia dicitur, ubi consules ac principes iacebant quos nefandus Hengistus prodiderat. Erat ibi coenobium .ccc. fratrum in monte Ambrii, qui ut fertur fundator eiusdem olim extiterat. Vt igitur locum quo defuncti iacebant circumspexit, motus pietate in lacrimas solutus est. Postremo, in diuersas meditationes inductus, deliberauit apud se qualiter locum faceret memorabilem. Dignam namque memoria censebat caespitem quae tot nobiles pro patria defunctos protegebat.

8 Conuocatis itaque undique artificibus lignorum et lapidum, praecepit ingeniis uti nouamque structuram adinuenire quae in memoriam tantorum uirorum in aeuum constaret. Cumque omnes ingeniis suis diffidentes repulsam intulissent, accessit Tremorinus Urbis Legionum archiepiscopus ad regem et ait:

‘Si uspiam est qui praeceptum tuum aggredi ualuerit, Merlinus uates Vortegirni aggredietur. Quippe non existimo alterum esse in regno tuo cui sit clarius ingenium siue in futuris dicendis siue in operationibus machinandis. Iube eum uenire atque ingenio suo uti ut opus quod affectas constet’.

Cum itaque de eo multa interrogasset Aurelius, misit diuersos nuntios per diuersas nationes patriae ut inuentum illum adducerent. Qui peragratis prouinciis inuenerunt eum in natione Gewisseorum ad fontem Galahes, quem fuerat solitus frequentare. Indicato autem quid uellent, duxerunt illum ad regem. Excepit illum rex cum gaudio iussitque futura dicere, cupiens miranda audire. Cui Merlinus:

'Non sunt reuelanda huiusmodi misteria nisi cum summa necessitas incubuerit. Nam si ea in derisionem siue uanitatem proferrem, taceret spiritus qui me docet et cum opus superueniret recederet'. 230

Denique, cum omnibus repulsam intulisset, noluit rex infestare eum de futuris sed de operatione praemeditata allocutus est. Cui Merlinus:

'Si perpetuo opere sepulturam uirorum decorare uolueris, mitte pro chorea gigantum quae est in Killarao monte Hiberniae. Est etenim ibi structura lapidum quam nemo huius aetatis construeret nisi ingenium artem subuectaret. Grandes sunt lapides, nec est aliquis cuius uirtuti cedant. Qui si eo modo quo ibidem positi sunt circa plateam locabuntur, stabunt in aeternum'. 235

129 Ad uerba ipsius solutus est Aurelius in risum, dicens qualiter id fieri posset ut tanti lapides ex tam longinquo regno adueherentur ac si Britannia lapidibus careret qui ad operationem sufficerent. Ad haec Merlinus: 240

'Ne moueas, rex, uanum risum, quia haec absque uanitate profero. Mistici sunt lapides et ad diuersa medicamenta salubres. Gigantes olim asportauerunt eos ex ultimis finibus Affricae et posuerunt in Hibernia dum eam inhabitarent. Erat autem causa ut balnea infra ipsos conficerent cum infirmitate grauarentur. Lauabant namque lapides et infra balnea diffundebant, unde aegroti curabantur. Miscebant etiam cum herbarum confectionibus, unde uulnerati sanabantur. Non est ibi lapis qui medicamento careat'. 245

Cumque hoc audissent Britones, censuerunt pro lapidibus mittere populumque Hiberniae proelio infestare si ipsos detinere niterentur. Postremo eligitur Vther Pendragon frater regis et quindecim milia armatorum ut huic negotio pareant. Eligitur et ipse Merlinus, ut ipsius ingenio et consilio agenda tractentur. Paratis deinde nauibus, mare ingrediuntur, prosperis uentis Hiberniam adeunt. 250 255

130 Ea tempestate regnabat in Hibernia Gillomanius, iuuenis mirae probitatis. Hic, cum audiisset quia in Hibernia applicuissent Britones, collegit exercitum grandem et eis obuiam perrexit. Cumque didicisset causam aduentus eorum, astantibus arrisit et ait:

'Non miror si ignaua gens insulam Britonum deuastare potuit, cum Britones bruti sint et stulti. Quis etenim huiusmodi stulticiam audiuit? Numquid meliora sunt saxa Hiberniae quam Britanniae, ut regnum nostrum pro ipsis ad proeliandum prouocetur? Armate uos, uiri, et defendite patriam uestram, quia dum michi uita inerit non auferent etiam nobis minimum lapillum choreae'. 260 265

Vther igitur, ut uidit ipsos ad proeliandum paratos, festinato agmine in eos irruit. Nec mora, praeualuerunt Britones Hiberniensibusque laceratis ac interfectis Gillomanius in fugam propulerunt. Potiti autem uictoria, exegerunt Killaraum montem lapidumque structuram adepti gauisi sunt et ammirati. Circumstantibus itaque cunctis accessit Merlinus et ait: 270

'Vtimini uiribus uestris, iuuenes, ut in deponendo lapides istos appareat utrum ingenium uirtuti an uirtus ingenio cedat'.

Ad imperium igitur eius indulserunt unanimiter multimodis machinationibus et aggressi sunt choream deponere. Alii funes, alii restes, alii scalas parauerunt ut quod affectabant perficerent, nec ullatenus perficere ualuerunt. 275 Deficientibus itaque cunctis, solutus est Merlinus in risum suasque machinationes confecit. Denique, cum quaeque necessaria apposuisset, leuius quam credi potest lapides deposuit, depositos autem fecit deferri ad naues et introponi, et sic cum gaudio in Britanniam reuerti coeperunt. Nec mora, prosperantibus uentis applicant sepulturasque uirorum cum 280 lapidibus petunt. Quod cum indicatum fuisset Aurelio, diuersos nuntios per diuersas partes Britanniae direxit iussitque clerum ac populum submonere, submonitos uero in monte Ambrii conuenire ut cum gaudio et honore praedictam sepulturam repararent. Ad edictum ergo illius uenerunt pontifices et abbates et ex unoquoque ordine qui ei subditi fuerant. Et cum omnes 285 conuenissent, instante die quae praedestinata fuerat imposuit Aurelius diadema capiti suo festumque Pentecostes regaliter celebrauit tribusque sequentibus diebus continuae celebrationi uacauit. Interea honores qui possessoribus carebant domesticis suis largitur ut eis laborem obsequii sui remuneraret. Euacuatae erant duae metropolitanae sedes, Eboraci uidelicet 290 atque Urbis Legionum, a pastoribus suis; quibus communi populorum consilio consulere uolens, concessit Eboracum Samsoni, illustri uiro summaque religione famoso, Urbem uero Legionis Dubricio, quem diuina prouidentia in eodem loco profuturum elegerat. Cumque haec et cetera in regno suo statuisset, praecepit Merlino lapides circa sepulturas erigere quos 295 ex Hibernia asportauerat. At ille, praeceptis eius oboediens, eodem modo quo in Killarao monte Hiberniae positi fuerant erexit illos circa sepulturam ingeniumque uirtuti praeualere comprobauit.

2a) Saint Paul

Paul, under escort, begins the journey to Rome in a coasting vessel. He is transferred to a larger ship and reaches Crete at the end of the sailing season.

Ut autem iudicatum est navigare eum in Italiam, traderunt Paulum eum reliquis custodiis centurioni nomine Iulio cohortis Augustae. Ascendentes navem Adrumetinam, incipientem navigare circa Asiae loca sustulimus, perseverante nobiscum Aristarcho Macedone Thessalonicensi. Sequenti 5 autem die devenimus Sidonem; humane autem tractans Iulius Paulum, permisit ad amicos ire, et curam sui agere. Et inde cum sustulissemus, subnavigavimus Cyprum, propterea quod essent venti contrarii. Et pelagus Ciliciae et Pamphiliae navigantes venimus Myram quae est Lyciae. Et 10 ibi inueniens centurio navem Alexandrinam navigantem in Italiam, transposuit nos in eam.

Et cum multis diebus tarde navigaremus, et vix devenissemus contra Cnidum, prohibente nos vento, adnavigavimus Cretae, iuxta Salmonem. Et vix iuxta navigantes venimus in 15 locum quendam qui vocatur Boniportus, cui iuxta erat civitas Lasaea.

Against Paul's advice they set sail again, but are caught in a storm.

Multo autem tempore peracto, et cum iam non esset tuta navigatio eo quod et ieiunium praeteriisset, consolabatur eos Paulus dicens eis: "Viri, video quoniam cum iniuria et multo 20 damno non solum oneris et navis, sed etiam animarum nostrarum, incipit esse navigatio." Centurio autem guber-

natori et nauclero magis credebat quam his quae a Paulo dicebantur et cum aptus portus non esset ad hiemandum, 25 plurimi statuerunt consilium navigare inde, si quomodo possent devenientes Phoenicem hiemare, portum Cretae respicientem ad africanum et ad corum.

Adspirante autem austro, aestimantes propositum se tenere, cum sustulissent legebant Cretam. Non post multum autem  
 30 misit se contra ipsam ventus typhonicus, qui vocatur euro-  
 aquilo; cumque arrepta esset navis, et non posset conari in  
 ventum, data nave flatibus ferebamur. In insulam autem  
 quandam decurrentes, quae vocatur Cauda, potuimus vix  
 35 obtinere scapham. Qua sublata adiutoriis utebantur, accin-  
 gentes navem, timentes ne in Syrtim inciderent; summisso  
 vase sic ferebantur. Valida autem nobis tempestate iactatis,  
 sequenti die iactum fecerunt; et tertia die suis manibus  
 armamenta navis proiecerunt. Neque autem sole neque  
 40 sideribus apparentibus per plures dies, et tempestate non  
 exigua imminente, iam ablata erat spes omnis salutis nostrae.

Paul reassures his fellow-passengers. Nearing land, the crew unsuccessfully attempt to abandon ship.

Et cum multa ieiunatio fuisset, tunc stans Paulus in medio eorum dixit: "Oportebat quidem, viri, audito me non tollere a Creta, lucrique facere iniuriam hanc et iacturam; et nunc suadeo vobis bono animo esse, amissio enim nullius animae  
 45 erit ex vobis praeterquam navis. Adstitit enim mihi hac nocte angelus Dei cuius sum ego et cui deservio, dicens, 'Ne timeas, Paule; Caesari te oportet adsistere, et ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum.' Propter quod bono animo estote, viri; credo enim Deo quia sic erit quemadmodum dictum est  
 50 mihi. In insulam autem quandam oportet nos devenire."

Sed posteaquam quartadecima nox supervenit, navigantibus nobis in Adria, circa mediam noctem, suspicabantur nautae apparere sibi aliquam regionem. Qui et summittentes bolidem invenerunt passus viginti; et pusillum inde separati invenerunt

passus quindecim. Timentes autem ne in aspera loca incidere-  
 mus, de puppi mittentes ancoras quattuor, optabant diem fieri. Nautis vero quaerentibus fugere de navi, cum misissent scapham in mare sub obtentu quasi inciperent a prora ancoras extendere, dixit Paulus centurioni et militibus: "Nisi hi in nave manserint, vos salvi fieri non potestis." Tunc absciderunt  
 60 milites funes scaphae, et passi sunt eam excidere.

They run the ship aground, and all reach the shore safely.

Et cum lux inciperet fieri, rogabat Paulus omnes sumere cibum, dicens: "Quartadecima die hodie exspectantes ieiuni permanetis, nihil accipientes; propterea quod rogo vos accipere cibum pro salute vestra quia nullius vestrum capillus de capite peribit."  
 65

Et cum haec dixisset, sumens panem gratias egit Deo in conspectu omnium; et cum fregisset coepit manducare. Animaequiores autem facti omnes, et ipsi sumpserunt cibum. Eramus vero universae animae in navi ducentae septuaginta sex. Et satiati cibo alleviabant navem, iactantes triticum in mare.  
 70

Cum autem dies factus esset, terram non agnoscebant; sinum vero quendam considerabant habentem litus, in quem cogitabant, si possent, eiicere navem. Et cum ancoras sustulissent committebant se mari, simul laxantes iuncturas gubernaculorum; et levato artemone, secundum aurae flatum, tendebant ad litus.  
 75

Et cum incidissemus in locum dithalassum, impegerunt navem; et prora quidem fixa manebat immobilis, puppis vero solvebatur a vi maris. Militum autem consilium fuit ut custodias occiderent, ne quis cum enatassent effugeret. Centurio autem volens servare Paulum prohibuit fieri, iussitque eos qui possent natate emittere se primos, et evadere, et ad terram exire. Et ceteros alios in tabulis ferebant, quosdam super ea quae de navi erant. Et sic factum est, ut omnes animae evaderent ad terram.  
 80  
 85



They spend the winter on the island of Malta, receiving much kindness from the inhabitants.

90 Et cum evasissemus, tunc cognovimus quia Melita insula vocabatur; barbari vero praestabant non modicam humanitatem nobis. Accensa enim pyra reficiebant nos omnes, propter imbrem qui imminebat et frigus. Cum congregasset autem Paulus sarmentorum aliquantam multitudinem, et imposuisset super ignem, vipera a calore cum processisset, 95 invasit manum eius. Ut vero viderunt barbari pendentem bestiam de manu eius, ad invicem dicebant: "Utique homicida est homo hic; qui cum evaserit de mari, ultio non sinit eum vivere." Et ille quidem excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est. At illi existimabant eum in tumorem convertendum, et subito casurum et mori. Diu autem illis expectantibus, et videntibus nihil mali in eo fieri, convertentes se 100 dicebant eum esse deum.

In locis autem illis erant praedia principis insulae, nomine Publii; qui nos suscipiens triduo benigne exhibuit. Contigit autem patrem Publii febribus et dysenteria vexatum iacere. 105 Ad quem Paulus intravit; et cum orasset, et imposuisset ei manus, salvavit eum. Quo facto omnes qui in insula habebant infirmitates accedebant et curabantur. Qui etiam multis honoribus nos honoraverunt, et navigantibus imposuerunt quae necessaria erant.

The final stage of the journey.

110 Post menses autem tres navigavimus in navi Alexandrina quae in insula hiemaverat, cui erat insigne Castorum. Et cum venissemus Syracusam, mansimus ibi triduo. Inde circumlegentes devenimus Rhegium; et post unum diem, flante austro, secunda die venimus Puteolos. Ubi inventis fratribus, 115 rogati sumus manere apud eos dies septem; et sic venimus Romam. Et inde cum audissent fratres, occurrerunt nobis usque ad Appii Forum ac Tres Tabernas; quos cum vidisset Paulus, gratias agens Deo accepit fiduciam.

Cum autem venissemus Romam, permissum est Paulo manere sibimet cum custodiente se milite.

2b) Citizenship

Iussit tribunus induci eum in castra, et flagellis caedi, et torqueri eum, ut scirent propter quam causam sic acclamarent ei.

Et cum astrinxissent eum loris, dicit adstanti sibi centurioni Paulus: Si hominem Romanum, et indemnatum licet vobis flagellare?

Quo audito, centurio accessit ad tribunum, et nuntiavit ei, dicens: Quid acturus es? Hic enim homo civis Romanus est.

Accedens autem tribunus, dixit illi: dic mihi si tu Romanus es? At ille dixit: Etiam.

Et respondit tribunus: Ego multa summa civilitatem hanc consecutus sum. Et Paulus ait: Ego autem et natus sum.

Protinus ergo discesserunt ab illo qui eum torturi erant; tribunus quoque timuit, postquam rescivit quia civis Romanus esset, et quia alligasset eum.

Postera autem die, volens scire diligentius qua ex causa accusaretur a Iudaeis, solvit eum; et iussit sacerdotes convenire, et omne concilium, et producens Paulum, statuit inter illos.

In primis lego animam meam Deo, beatæ Mariæ et omnibus Sanctis, et corpus meum ad sepeliendum in cimiterio ecclesiæ Sancti Michaelis de Berefrido. Et pro mortuario meo unam supertunicam cum capucio. Item do et lego Agneti, filiæ Henrici de Coupmanthorp, unum anulum aureum cum lapide qui vocatur meraudé. Item do et lego Margeriæ sorori meae unum courtby de blueto cum fururâ. Item do et lego Julianæ sorori meae unam tunicam de appelblome. Residuum vero omnium bonorum meorum post debita mea soluta do et lego Isabellæ sorori meæ. — Executores meos; Thomam de Bilbrok patrem meum, et Isabellam sororem meam. In cujus — Datum Ebor. die et anno predictis. Item do et lego ij<sup>s</sup>. ad quatuor libras ceræ ad comburendum circa corpus meum. Item do et lego Marotæ servienti meæ unum warniamente de melle.

## 3b) Fashion

Iste enim ornatus preciosus et superfluous, et apertus, nudans pectora mulieris, et ostendens colorem fuco, i.e. unguento, false adquisitam, et ornatus virorum, jam nuper inductus, citra annum 1429, plura mala causavit, in superbiendo, et in fornicando, et in adulterando, ut notum et pluribus. Homines enim femorum formam ostendunt per aperturam togæ, et braccis jam non utuntur, sed caligis. Talis ornatus primo movet ad magna peccata, et retrahit mentes, quando de Deo cogitent, ad pessima desideria et ad actus malos.

## 3c) Rules

[1] Primo statuunt quod quicumque socio suo verba obprobriosa, injuriosa aut contumeliam intulerit, solvat burse unum francum et injurias passo satisfaciatur secundum dicta sociorum; quod si noluerit, recedat a societate et a domo. 5

[2] Item statuunt quod quicumque socium suum invaserit et ipsum de facto verberabit, solvat burse duos francos et secundum enormitatem facti juxta dicta sociorum, satisfaciatur leso aut a societate recedat. Et si contingit aliquem aliquo istorum modorum jamdictorum penaliter exire non satisfaciendo burse aut parti lese, volunt quod solvat de anno pro famulo et domo carebitque toto jure quod in utensilibus et provisionibus habuit pro tempore factis. 10

[3] Statuunt 3<sup>o</sup> quod quicumque ultra porcionem suam, sive in mensa sive extra, vinum habere voluerit, capiat supra dicam suam et societati secundum conscienciam suam computabit; cujus quidem dice una pars penes famulum, alia penes dominum remaneat, statimque recepto vino dicabitur receptum. 15

[4] Item, quod quis recipit de bursa pro hospitibus suis solvat sicut burse constat.

[5] Item, hora prandii si aliquis extraneus supervenerit, ipse cujus ratione dinoscitur venire, si comederit, pro ipso satisfaciatur. Si vero non plus ratione unius quam alterius quis supervenerit, nulli computabitur. 20

[6] Item, nullus meretrices infra domum introducat. Quod si fecerit, solvat burse unum francum, et carebit omni jure quod habuit vel habet in utensilibus et in provisionibus pro tempore factis, et a domo recedat, nichilominus pro domo et famulo de anno soluturus. 25

[7] Item, nullus portam seu hostia nostra injuriose aut violenter infringat, sibi vinum vel alia usurpando; quicumque fecerit solvat burse unum francum et reparet seu reparare faciat fracta restituatque ablata; quicumque noluerit a societate recedat, carendo omnibus, ut prius, pro domo et famulo nichilominus soluturus. Quicumque autem casualiter vel voluntarie fregerit vitra vel alia, restituat meliora vel saltem eque bona. 30

[8] Item, nullus verberabit famulum nostrum nec sibi verba obprobriosa injuste obiciat. Quicumque fecerit, leso satisfaciatur et burse secundum facti exigentiam et sociorum dicta. Qui famulus precipue serviat preposito; et nullus mittat extra famulum tempore quo cibaria habet preparare, nisi alter ad ea respexerit usque ad reditum suum. Item, si plures concurrunt in rogando ipsum sive mittendo, qui prior est tempore, potior est jure. 35

(circa  
1407)